…stoph.
…Proskau.

Schelia de Rzuchau Joan: Auspica-
tissimo Cracoviam ingressui Ill. et
Magn. D. D. Joan. Christoph. Lib. Bar.
de et in Proskau – gratulatur.

Auspicatissimo Cracouiã ingressui,

Illustris ac Magnifici Domini

D. IOANNIS CHRISTOPHORI

LIBERI BARONIS DE ET IN Proskau, Chrzelicz, Czilicz, Schemicz, Gracz, & Bsenecz, &c Sac: Cæs: Regiæq; Maiestatis Consiliarij, & Cubicularij, nec non Ducatuum Oppoliensis, atque Ratiboriensis Capitanei, Legationis munus ab Inuictissimo Romanorum Imperatore RVDOLP. II. ad Sereniss: Poloniæ Regem SIGIS: III. fæliciter obeuntis debitæ obseruantiæ ergò

Gratulatur

Joannes Schelia de Rzuchau I. V. C.

CRACOVIÆ,
Apud Viduam Iacobi Sibeneycher, A. D. 1608.

ΧΑΡΑ.

Non ita Dardanio recreatus Atrida triumpho est,
Cum ruerent largæ Laomedontis opes.
Nec sic erranti cecidit lux dulcis Vlißi,
Qua reperit gratæ, littora, Dulichiæ:
Nec sic Tauricis Iphigenia vidit Orestem
Finibus, illæsi fratris anhela soror;
Nec simili applausu Minois Thesea strinxit,
Dedaleum Phædræ cum patefecit iter:
Atq; ego, dum cupidas, tetigißet nuncius, aures,
Tantaque propitio numine plenus ait:
PRVSKOWSKI Heroum prognatus stirpe potentum
Sollicitâ Oppoliæ qui regit arua manu;
Sarmaticum properat linguis afflare Monarcham
Grandiloquis, magni, Cæsaris ora gerens.
Ergo hilares si quando mihi, modò ludite Nimphæ:
Sors fauet, astra fluunt, inclytus hospes adest.
O vir Eritræis meritò sculpende lapillis,
O mihi delitias inter habende meas;
Præside te, nostræ nullis insultibus vrbes
Succumbent, nullis patria rura minis:
Exprimit infractum facies animosa Solonem,
Fabricium virtus, Aemiliumq; fides;

Haud

Haud tua maiorum titulis innixa recumbit
Gloria, nec ſenibus ſe tibi iactat auis;
Sed certat generoſa thoros excellere magnos
Flamma, ſuumq́ nouâ ſuſcitat arte decus.
Bis poſuit iam bruma niues, & tertia falci
Decubuit, patriam me fugiente, Ceres;
Nulla dies tulit hoc quod tu Februarie nobis,
PRVSKOVIVS, populi vox ſonat vna, VENIT.

ODE TRICOLOS
TETRASTROPHOS.

O Magne mundi Rector, & Æteris
Curſor ſereni Phæbe, cui nouos
Proſerpina ad nutus, iugales
Laſſa, genas renuit Marito;
Dic ſub cubili Memnonis igneo
Fuſis Sabæis, dic ſub amyſtide
Tarteſsia lætis Iberis,
Quosué gelat Boreas Nomæis;
Dic ad Polonos Opoliam polos,
Miſiſſe charo delitias ſinu,
Oraculum Herois, vicino
Auſonij, memorare Craco;

Salue benignis orte Diis Here,
Salue Quadorum laus, iubar, & caput,
Salue propago fastuosis
Poplitibus veneranda salue;
Expectat amplo Rex Capitolio,
Vocant Lycæi pignora Cantij:
Veni, saluta, exple, recede,
Teutonibus rata vota pande.

Ad excelsam Pruscouiorum Stirpem.

NOn quæ virenti Nobile canticum
Ædonis folio Thracia parturit,
Ityn mellifluis emodulans sonis:
Non quæ ales tepido Bistonis Aeolo
Insultans socij garrula perstrepit,
Prædas aëris vermibus hosticas,
Non quæ sereno dat Polyhymnia
Plausus Empireo, Pruscouii genus
Lesboũ tibi scit tendere Barbyton.
O arbor aluo fertilis aureâ
Tu claro toties dotibus inclitæ

Educas

Educas gremio lumina patriæ.
Iam radix latitans germine prodiit
Obſcurum pepulit Lucifer Heſperū,
Ceruicemq; tulit Phæbus ad arduū.
O Arbor aluo fertilis aureâ,
Tu claro toties dotibus inclitæ
Educas gremio lumina patriæ,
Iam radix latitans germine prodiit
Obſcurum pepulit Lucifer Heſperū,
Ceruicemq; tulit Phœbus ad arduum.
O Arbor aluo fertilis aureâ,
Quā magni tua proh munera pollices
Stringunt, quanta viris ambitio tui?
Cæſar conſiliis aggregat intimis,
Nutritāq; metit Daphnide gemmulā.
O Arbor aluo fertilis aureâ.
Humectata ſacro Palladis vbere,
Quo plus diſtrahitur Stēmatis, hoc magis
Accreſcit tumidis culmen honoribus.
Quæ virtute graui deſeritur, bona,
Virtute excipitur ſplendidior domus.
O Arbor aluo fertilis aureâ,
In tutum titulis plaude celebribus
Trāſlatis, licet id quòd placet omnibus,
Rara & difficili conditur arcula;
Multi multa ſtrepāt, tu integra permanes
Linguas qui fugiat creſcit in æthere.

 O arbor

O Arbor aluo fertilis aureâ,
Si nullos pariet nactus honor, tamen
Corradet varios inuidia æmulos,
Vltro sortis opes qui opprimit, exprimit,
Laudis trames enim despici ab improbis.
O Arbor aluo fertilis aureâ,
Dentes temne vafros, nil tibi fit noui;
Clio, quos recipit, sic furit in procos,
Amarisq; tegit dulcia lectulis.
Virtus quemq; sua ad maxima collocat,
Virtus dum patitur vincit & emicat,
Virtus haud Stygios fertur ad arbitros.
O Arbor aluo fertilis aureâ,
Haud vmbram prohibe carpere vatibus
Nec sublimè tuos subtrahe ramulos
Paruis, sed solito tegmine mulceas,
Flore, viue, vale Silesiæ iubar,
Concertent meritis qui decus inuident.

Ode Dicolos Tetrastrophos.

FLebilis mœsto RATIBORA vultu,
Quid tuis versas resoluta ab vlnis
Busta OPERSTORFI? quid inulta mordes
Astra querelis?
Quem gemis cuncti gemuere, verum
Quis queat diras cohibere Parcas?
Quis Deos frenet? quis iter recludat
Lugubre fatis?
Non is arcendus Ioue, nec dolendus,
Quisquis inuito retrahit sepulchro
Gloriæ fulgur, meritaq; fasces
Laude resignat.
Æquat expleta vice dignitatum
PRVSKIVS strato monumenta passu,
Non fide, non re, nec ope, vnico vix
Nomine distat.
Tu faue effusis bone dux labellis,
Iustus, austerus, facilis, benignus,
Subleua, puni, redama, tuere;
Legibus insta.
Nobilis, simplex, locuples, egenus,
Et tuum quisquis volat ad Tribunal,
Dispari nunquam querulus Penates
Lance reuisat.
Hoc ego, hoc ius, hoc pietas cupiscit,
Hoc Sybillinis memoranda seclis
Fama. Sat lusum: repetit Parentem
Patria charum.